D A N I A.

Fines.

AB Occasu Oceanus Germanicus, ab Ortu mare Balthicum Daniam lambit, ad Septentrionem Norwegia & Suecia, ad Austrum Holsatia, Megalopolis & Pomerania adspectant. In creberrimas Insulas dispescitur, duobus solummodo locis continenti juncta. Cæli temperies, unà cum salubritate aëris Danos blandè refocillat: terræ ubertas nutrit: volucrum suavissimus concentus recreat: silvarum nemorumque varietas oblectat: multiformes insuper animalium species & florida prata delectant. Quæ autem horum Danorum fuerit origo, ne Danis quidem ipsis satis constat: nisi quod quidam à Dano primo ipsorum Rege, alii à Dahis Asiæ populis eam repetunt. Dudo autem de S. Quintino, scriptor antiquus, eos è Scandia in Cimbrorum veteres sedes devenisse asserit. Videntur autem ab aquis dicti: quia A H A apud illos fluvium significat, & ipsi se *Daneman*, quasi viros aquaticos & fluviales vocant.

Cæli temperies.

Origo nominis.

Status Daniæ.

Status Ordinesque totius Imperii Danici quinque sunt. *Primus* est regiæ familiæ. Regem habent Dani magis ex Procerum electione, quam ex nativitatis successione. *Secundus* Nobilium est. Inter quos nec Comites nec Barones censentur. Ex hoc ordine Senatores regni eliguntur, quorum numerus XXVIII rarò excedit. *Præfectus*, sive *Magister aulæ*, tanquam Vicarius regius res à Rege ad se destinatas dirigit: *Marischalcus*, qui tempore pacis & belli, ea, quæ ad expeditiones pertinent, procurat: *Admiralius*, qui rerum maritimarum, naviumque ad Oceanum tutandum curam habet: *Cancellarius regni*, ad quem ex omnibus regni locis, insulisque appellatur, & à quo ad Regem & Senatum regni appellatio vicissim devolvitur. Habent autem Dani Ius scriptum, compilatum à Waldemaro primo, non multum à Romanis legibus discrepans: *Cancellarius Regis*, qui Regi plerumque in aula adest, adjunctos sibi habens septem vel octo nobiles Secretarios & Scribas. Tractantur negotia omnia à Rege ipso. Quod si autem de rebus magnis deliberandum sit, Concilium Senatorum à Rege indicitur. Nec fas est tributum ullum imponi regno, nobiliumque rusticis, absque Senatorum & Procerum consensu. *Ærarii* denique *Præfectus* totius regni reditus colligit, rationes audit, examinat, inquirit. Habet hic adjunctos duos ex nobilitate & Scribas multos è plebe. *Tertius* status Ecclesiasticus est, in quo Episcopi fuere VII, Archiepiscopus Lundensis, Episcopus Roschildensis, Otthoniensis, Ripensis, Wiburgensis, Arhusiensis, & Slesvicensis. Præter Ecclesias Scholæ particulares pluribus in locis erectæ sunt. Vna tantum in toto regno Academia est, Hafniæ. *Quartum* ordinem cives mercatoresque constituunt, qui propriis fruuntur privilegiis. *Quintus* status rusticorum est: quorum alii vocantur **Freybunden**/ coloni liberi, alii servili magis conditione vivunt. Atque hic quidem regni Danici ac Politiæ universæ status est, quo tuti invictique hactenus perstiterunt, nec ulla unquam illos natio planè subegit, aut patrios ritus & privilegia sustulit. Contra populi septentrionales, Dani nempe, Sueci, Norwegienses sive Nortmanni totam penè Europam devastarunt, & variis in locis regna constituerunt. Nota enim est & celebrata apud historicos Cimbrorum in Italiam expeditio, Gothorum Hispaniæ subactio, Longobardorum regni in Italia constitutio, Normannorum in Gallia habitatio, regni Neapolitani & Siculi erectio, Godefridi contra Carolum Magnum in Frisiam eruptio, Anglorum per aliquot annos subjectio. Canutus Magnus quinque Imperia tenuit, Rex enim Daniæ, Sueciæ, Norwegiæ, Angliæ, ac Normanniæ fuit, necnon Henrici tertii Imperatoris socer.

Majorum virtus.

Distincta autem est in universum Dania in Præfecturas centum octoginta quatuor, quæ *Hæret* vocantur, & à totidem Præfectis legum Danicarum peritis administrantur. Præest huic regno florentissimo hoc nostro tempore CHRISTIANVS quartus, rex pacis bellique studiis clarus.

Divisio regni.

Vniversa Danorum regio maris faucibus intercepta, multis constat partibus, quarum præcipuæ sunt *Iutia*, *Fionia*, *Zelandia*, & *Scania*, præter insulas singulis partibus adjacentes. *Iutia* occidua Daniæ pars est, quam Ptolemæus Cimbricam vocat Chersonesum. In Septentrionem longo promontorio ita procurrit, ut in Austrum Italia. Est autem duplex Iutia, Septentrionalis & Meridionalis. *Septentrionalis* Norwegiam versus extenditur, & ad Schagam *promontorium* syrtibus ac vadis celebre in cuneum coarctata desinit. Dividitur hæc in sedes episcopales quatuor: in *Ripensem*, quæ Ripæ, *Arhusiensem*, quæ Arhusii, *Vandalicam*, quæ Aleburgi, *Viburgensem*, quæ Viburgi consistit. *Meridionalis* Iutia, veteribus *Nordalbingia* dicta est. Ea duos Ducatus Slesvicensem & Holsatiæ complectitur, quos juxta tabulam particularem describimus.

Iutia.

Iutiam excipit FIONIA. Iusula aliquanto minor Zelandia, sed fertilitate felicior. In medio metropolis est *Ottonia*, urbs Episcopalis;

Fionia.